

XVIII. Haec non pro me loquor; ego enim in altiorum omnium sum: sed pro illo, cui aliquid acti est. «Aliter, inquit, loqueris; aliter vivis.» Hoc, malignissima capita, et optimo cuique inimicissima, Platoni objectum est, objectum Epicuro, objectum Zenoni. Omnes enim isti dicebant, non quemadmodum ipsi viverent, sed quemadmodum vivendum esset. De virtute, non de me loquor: et quum vitiis convicium facio, in primis meis facio. Quum potuero, vivam quomodo oportet. Nec malignitas me ista multo veneno tincta deterrebit ab optimis. Ne virus quidem istud, quo alios spargitis, vos necatis, me impedit, quominus perseverem laudare vitam, non quam ego, sed quam agendam scio, quominus virtutem adorem, et ex intervallo ingenti reptabundus sequar. Expectabo scilicet, ut quidquam malevolentiae inviolatum sit, cui sacer nec Rutilius fuit, nec Cato? Cur et aliquis non istis dives nimis videatur, quibus Demetrius Cynicus parum pauper est? Virum acerrimum, et contra omnia naturae desideria pugnans, hoc pauperiorem, quam ceteri Cynici, quod quum sibi interdixerint habere, interdixit et poscere: negant enim sapientem egere! Vides enim? non virtutis scientiam, sed egestatis professus est.

M. TULLII CICERONIS LAELIUS,

SIVE DE AMICITIA DIALOGUS

AD T. POMPONIUM ATTICUM.

Quintus Mucius augur multa narrare de C. Laelio, socero suo, memoriter et jucunde solebat, nec dubitare illum in omni sermone appellare sapientem. Ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam, sumpta virili toga, ut, quoad possem, et liceret, a senis latere numquam discederem. Itaque